



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

139. Sabb. De septem gaudijs D. M. Virginis propter dona gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

gnitudinem charitatis. *Qui non contemnat dulcedinem seculi inhians bonis vita aeterna.* ait D. August. tom. 3. in sentent.

Conf. 3. Tribus modis Deus nobis amabilia caeli bona invisibilia facit. 1. Per similitudinem optimorum visibilium, edentium & bibentium super mensam. 2. Per revelationem & laudationem, *neque in cor hominis ascendit.* 3. Per prægustum, qui est in spiritualibus consolationibus, quibus affecti omnes mundi voluptates rident & contemnunt.

MEDITATIO CXXXIX.

Sabbato.

De septem gaudijs B. M. Virginis propter bona gratia.

Aspiciam B. Virginem filiam primogenitam gratiae septem gaudijs propterea refertam. Petam ea gaudia intelligere, & consequi.

Conf. I. Quomodo gratia in B. Virgine, quia fidem Dei operata est, Divam reddiderit Beatam: *Beata, quae credidisti.* Idcirco gaudentem praè alijs, quia cognitio rei cum sic viva similitudo ejus, & vita animae, affert gaudium majus, quò nobiliora sunt, quae cognoscuntur: sed B. Virgo res Fidei omnium nobilissimas nobiliore modo agnovit: gavisita igitur praè alijs ex Fide.

L

1. Gra-

2. Gratia in B. Virgine operata est Spes. Actus Spei Christianæ parit maximum gaudium animæ, quia innititur promissionibus infinitè potentis, & boni Dei: propterea, quæ sperantur, sunt quasi præsentia bona, bonum autem præsens parit gaudium majus, quò bonum est melius: sed non dantur majora bona, quàm quæ speramus in cœlis, atqui in Diva fuit Spes major præ alijs propter plures & clariores revelationes à Filio immediatè sibi factas, gavisiva igitur præ alijs ex spe.

3. Gratia in B. Virgine operata est dilectionem Dei. Actus amoris causat gaudium cordis, quia applicat animam ad bonum, quod amat, & conjunctio cum bono est delectabilis: & quia amor, in quantum sibi de bono complacet, quasi producit bonum illud, vel perficit, unde res amata est quasi effectus respectu amantis, effectus autem nostri nobis placent. Quare cum amando Deum quasi Deo esse demus, & nihil sit nobilitatis Deo, poteritne gaudium majus esse, quàm in amore Dei? atqui amor Divæ erat continuus etiam dormientis, purus, sincerus, et immenso habitu charitatis natus, semper multiplicatè crescens; fuit igitur Divæ gaudium ex amore præ alijs.

4. Gratia in B. Virgine prævenit naturam ita ut ejus Conceptio esset immaculata

quod privilegium sicut sola Virgo accepit, sic sola Deum de ea quantum satis gavisa est.

5. Gratia in B. Virgine operata est fomitis extinctionem, qui inclinatur ad sensibilia bona, excitat & nutrit in homine inordinatos ardores desideriorum, rationi repugnantes, ideoque peccaminosos: atqui B. Virgo caruit fomite præ omnibus hominibus, igitur præ omnibus gavisa est.

6. Gratia in B. Virgine operata est vitam immaculatam, ut careret omni foeditate peccati omnis, quia *nihil spurcum, ubi Deus est* ait Gregor. Nazianz. orat. 6. præ omnibus igitur gavisa est.

7. Gratia in B. Virgine operata est omnem actionem virtuosam. Gaudent parentes de pulchro filio, ipsa autem magis de innumeris virtutum actibus perfectissimis totam vitam exercitis gavisa est. Petam triplicem gratiam. 1. Ut sim in gratia Dei, ne me oculi Dei unquam videant inimicum Dei. 2. Ut non perdam gratiam Dei, petam impetrari mihi auxilia efficacia Dei. 3. Petam verbis & factis meis talem dari efficaciam, ut quam plurimos Deo adducam.

MEDITATIO CXL.

Dominica 3. post Pascha.

De loco & spatio Corporis Beati.

L 2

Aspi.